

XI. 1⁸/₁ = Q.

(cat. 4, 22-33^b)

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
7. [
8. [
9. .
10. .
11. .
- 12.
- 13.
- 14.



Index:

1. Pipping, Henr., Syllabus rectorum acad. Lips. seculi proxime elapsi. Lips. 1701.
2. Actus solennis comendationis s. renunciationis Rectoris magn. in acad. Lips. Philippi Julii Ducis Sacerini, continens orationem Matth. Dresseri et Andr. Humeli responsionem. Lips. 1602.
3. Pajmel, Joh., Epistolae duae, altera academiae Lips. ad Johannem Philippum Ducem Sax., altera hujus ad illam, decantatae. Lips. 1612.
4. Gribner, Mich. Henr., progr. (De primo acad. Lips. cancellario.) Lips. 1731.
5. Peger, Adr., De causa et fundamento immunitatis canonicorum qui sunt professores a residentiae onere. Lips. 1753.
6. Gottsched, Joh. Chr., De dignitate vacca laureatus Lipsiensis. Lips. 1738.
7. [Morus, Sam. Fr. Nath.] progr. (De legato Bestuchefiano). Lips. 1784.
8. [Gribner, Mich. Henr.] progr. (De fundatione stipendii Borniani). Lips. 1732.
9. Schwarz, Frid. Imman., De legatis acad. Lips. ad concilium Constantiense. Lips. 1785.
10. Schwarz, Fr. Imman., De legato acad. Lips. ad concilium Basileense. Lips. 1786.
11. Progr. (De theologis Lipsiensibus sub auspiciis reformationis). Lips. 1717.
12. Oda secularis in solennibus jubil. secundi restauratae doctrinae in templo acad. Lips. Paulino decantanda. Lips. 1717.
13. Rumpff, Chr. Fr., Ges. ein. weltl. u. geistl. Compagnie der andern. unang. Jubil. Lust begingende. Leipzig. 1717.
14. Progr. (De iis qui in acad. Lips. a tempore Reformationis Doctorum theologiae honores consecuti sunt.) Lips. 1645.

15. Kapp, Joh. Ehr., Historiam disputationis Lips. a. 1519 institutae aliquatenus supplet. Lips. 1739. 28.
16. Ander Sohn, Jac., Sind. Synodau wardeu knigzigihau Collegiis biblicis n. Synod wardeu Kint. Anu. v. O. 1689. 29.
17. Historiſche Relation was ſich mit all den knigzigihau ſtudiosis, welche von ſkändiſch und möſchlich geſchick geſchick wardeu, zue erzählen. Magdebg. 1691. 30.
18. Dondorff, Chp., (De luminibus ordinis Jctorum Lips.) progr. Lips. 1727. 31.
19. Diploma comitivae sacri palatii re quam Fridericus Augustus rex/lector facultati ju- 32.
ridicae in acad. Lips. largitus est. Lips. 1712. 33.
20. Hommel, Car. Ferd., Oratio de ordinariis facultatis jurid. Lips. Lips. 1763. 34.
21. Mencke, Nöderus, progr. (De facult. jurid. Lips. per Barth. Leonh. Schwenden- 35.
ferum et Aug. Bened. Carpzovium illustriori reddita.) Lips. 1709. 36.
22. Carls aus der ſynod Ob der Juri. Anu. ſub der knigzig in ſynod ſollen und ſollen zu weſen befugt ſei. Anu. 1638. 37.
23. Observatio juris practica de academiis Germaniae in transmittendis actis 38.
caute excipiendis, auctore D. S. N. H. P. qui illud potissimum egit, ut evinceret, 39.
pessime sibi prospicere partes litigantes, quae acta ad facultates juridicas, Lip- 40.
siensem, Wittebergensem, Jenensem, Hallensem et quasdam alias transmittunt. 41.
Lugd. 1722. Demo recusa atque adnot. quibusd. illusti. Ultraj. 1722. 42.
24. Rechenberg, C. O., progr. (De origine et historia professionis de verborum signifi- 43.
catione et regulis juris, ejusdemque professoribus in acad. Lips.) Lips. 1715. 44.
25. Actus solennis inaugurationis novi auditorii juridici ad D. Petri in acad. Lips. cele- 45.
bratus. Lips. 1642. 46.
26. Progr. facult. jurid. Lips. in inaugurationem auditorii Petri noviter extracti. Lips. 1773. 47.
27. Mylus, Fr. Hr., De dissertationibus jurid. in acad. Lips. hodie usitatis, ab iis, quas sae- 48.
culis superioribus ibidem habitae sunt, quodammodo directis. Lips. 1778.

28. Koenigh, Joh. Chr., progr. (De concessis promotionibus supremorum honorum in jure etiam extra facultatem in acad. Lips.) Lips. 1728.
29. Schwendendorffer, Ge. Tob., progr. (De privilegiis doctorum juris Lips.) Lips. 1673.
30. Schacher, Luir., progr. (De paucitate juris doctorum Lips.) Lips. 1653.
31. Plaz, Ant. Guil., Decanorum facult. medicae Lips. series continuata. Lips. 1778.
32. Rivinus, Aug. Luir., progr., (De facultatis med. Lips. Decanis). Lips. 1719.
33. Odorum in theatri anatomici dedicatione viga. Lips. 1704.
34. Gsellius, Mich., Ara gratitudinis in laudem horti medici. Lips. 1661.
35. Lutwinck des Collegii medico-philadelphici in Lütz. an. 1743. 1716.
36. Progr. (De facultatis philos. titulo bonarum artium et philosophiae). Lips. 1663.
37. Progr. (De IV nationibus et magistris in acad. Lips.) Lips. 1627.
38. Kapp, Joh. Erh., De procancellario facultatis philosophicae Lips. 1747.
39. Eck, Joh. Ge., Progr. 1. De munere Procancellarii in acad. Lips. Lips. 1788.
40. 41. Progr. 1. 2. (De professoribus Logices in acad. Lips.) Lips. 1702. 1703.
42. Schultze, Chr., resp. Joh. Dav. Güttner, Diss. De baccalareo. Lips. 1678.
43. F. C. H., De nomine Baccalarei atque Magistri illuso. Schneebergae 1733.
44. Dithmer, Henr. Clem., Commentatio de baccalareis. Lips. 1738.
45. Progr. (De baccalareatu philosophico in acad. Lips.) Lips. 1659.
46. [Thomasius, Jac.] progr. (De consuetudine acad. Lips. in ordinandis candidatis) Lips. 1670.
47. Gottsched, Joh. Chr., De academicorum acutorum ante duo fere secula motibus in hac universitate excitatis repressisque. Lips. 1756.
48. Gottsched, Joh. Chr., Bellum grammaticale superiori saeculo prudentia ord. philos. Lips. compressum. Lips. 1756.

49. Friiderici, Joh. Ge., Commentatio epistolica qua inquiritur: an in universitate,
loco amoeno atque jucundo sita, altioribus studiis incumbere conducatur? Lips. 2. a.
50. Todii, Ecc., theol. stud., in acad. Lips. ex vulnere beate mortui, adversus vindictam
privatam oratio. Interprete L. Val. Alberti. Lips. 1674.
51. Conscientia studiosorum Lips., quotquot tumultui nuper interfuerunt, omnium, quae-
rens medicinam et offerens, interprete D. Val. Alberti. Lips. 1682.
52. Feller, L. Joach., Elegia ad florentissimum studiosorum Lips. coetum. Lips. 1682.
53. 54. Waisfaffen Buchverbindung des von Johannis 2. Tag 1734. an die Paulinac. Kirchn zu
Leipzig angefaßten Buches. v. O. 1734.
55. Paulus (Kondignus des zu Leipzig stehenden Raths, Anweisung über die Neufalsen
des Buches von Johann 2. Tag 1734. an die Paulinac. Kirchn zu Leipzig. 1771).



2

Actus solennis commendationis, seu renun-
ciationis Rectoris magnificentissimi in
Academia Lipsica,

ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI,
DOMINI


PHILIPPI IVLII,
DVCIS STETINI, POMERA-
niæ, Cassuborum & Henetorum, Prin-
cipis Rugiæ, comitis Gutzcouiæ, domi-
ni Leopurgi & Bythouïæ:

Continens

*Orationem Matthæi Dresseri commen-
datitiam, & ad eandem Magnifici domini prorecto-
ris D. ANDRÆÆ HVMEII responsionem:*

Celebratus

XV. Cal. Iunij, Anno Christi M. DCII.



Michael Lantzenberger excudebat.

Impensis Iacobi Apelij.


160

4

Ac



Oratio
MATTHÆI DRESSERI.



Omnamenta Academiae Lipsicae insignia & preclara numerari multa possunt, priuilegia publicis literis consignata, collegia aedificijs splendidis & immunitatibus amplissimis decorata, nationum quibus totius terrae gentes comprehenduntur in classes quatuor distinctio, & collegiatorum in tribus collegijs tanquam inspectorum ac moderatorum doctrinae & disciplinae priuatae perpetuitas. Ad quae decora accedunt complura alia, doctrinae professio luculenta in singulis disciplinis, sinceritas in religione, secundum Biblia sancta, & primigeniam illam incorruptamque confessionis Augustanae formulam, iuris legitimi interpretatio disertata & diligens, medi-

cæ artis ex fontibus depromta explicatio,
& literarum artiumq; omnium accurata
tractatio, & ad vsum per crebras disputati-
ones & exercitationes translatio. Hæc tot
& tam preciosa decora tanquam fidus ali-
quod illustrat & auget illustrissimus ac fe-
renissimus princeps, ac dominus, dominus
PHILIPPVS IVLIVS, Stetini, Pomera-
niæ, Cassuborum & Henetorum dux, Ru-
giæ princeps, Gutzcouiæ comes, & Leo-
purgi Bythouiaq; dynasta, dominus no-
ster clementissimus, cui scepra Academiae
tradita, & cura salutis eius dignitatisq; o-
mnis commissa est. Fatemur iure, diuini-
tus nobis datum atq; concessum esse tan-
tum principem Rectorem ac moderato-
rem studiorum & actionum nostrarum
in hoc tempore. Ac gratias agimus DEO
in primis, qui tantum honorem, decus ac
felicitatem ad nos transtulit. Tum roga-
mus eundem, vt pro sua immensa miseri-
cordia atque clementia illustrissimi nostri

ducis

ducis atq; Rectoris munus amplissimum atq; honorificentissimum salutare & prosperum toti Academiae esse sinat. Est reuera magnificentum, & autoritatis splendorisq; summi plenum nomen ducis atq; Rectoris nostri, cuius mentione lætamur, præfentiâ recreamur, & mente sensuq; reficimur. Hunc igitur qua pietate prosequemur, aut quibus laudibus efferemus? Laus autem omnis non aliunde quam ex nomine ipso, & vultu, qui sermo quidam tacitus mentis est, tum ex ijs etiam, quæ hætenus ab illustrissima ipsius celsitate in nos profecta sunt, cumulate manabit. Quare nominis & titulorum splendorem in primis, quantum quidem temporis, quo circumdati sumus, angustia patietur, euolvere atq; enodare conabimur.

Auita quidem sunt nomina Ducis & Rectoris nostri inclyti, à maioribus illustrissimis longa serie propagata, & regionum prouinciarumque hæreditariarum

amplitudinem indicantia : Sed omnium
augustissimum & sanctissimum est in sa-
cro sancto baptismo inditum nomen
Philippi Iulij. Etsi enim Philippi vocabu-
lum græcum est, & ab ethnicis etiam vfur-
patum : tamen Christianum esse cepit
tum, cum Philippus ad Apostoli munus à
Christo ipso fuit accersitus. Significat igitur
Philippus equitem Christianum, siue
equestrem militem, excubantem & vigi-
lantem animo contra insidias & assultus
maligni spiritus, & satellitum ministro-
rumq; eius in mundo, longè lateq; disper-
forum. Iulius verò siue Iulus latinis est ge-
nerosus & animosus Adolefcens, qui ante
annos animum & curam virilem gerit.
Qualem fuisse accepimus Ascanium Æneæ
filium & Iulium Cæsarem. Quis verò
nostrum dubitabit tam animo quàm stu-
dio, talem etiam esse nostrum principem
Rectorem ? Equidem Christianæ religio-
nis non solum amator sincerus, sed etiam

pro-

propugnator ardens est: & eius quidem religionis, quam maiores eius vnà cum nostris Saxoniae Principibus summa constantia tutati sunt. Indolem si spectemus, quid nisi egregium & præclarum reperimus? Vultum si intueamur, quid nisi magnificum, ingenuum, & liberale videmus? Deniq; quid est vsquam in principe Rectore nostro, quod non det signa pudoris, virtutis & fortitudinis inclytæ? Ex ephebis vix dum excessit, & curæ tamen tam subditos suos latè patentes, quàm commissam sibi etiam hanc Academiam habet. Amentes igitur simus, nisi reuerentia, obedientia, fide & summissione debita tantum gubernatorem colamus & obseruemus.

Deinde Dux est noster Rector longa maiorum serie & continuatione familiæ, inde vsq; ab anno Christi 1136. quo Bertislaus Christianam religionem, autore Othone episcopo Bambergensi, primus in

cite-

citeriorem Pomeraniam intulit, & templum Diui Iacobi in vrbe Stetino à fratre Ratiboro adiutus fundauit. Anni igitur iam fermè quingenti sunt, quibus numerari continua successione Christiani maiores nostri Reçtoris possunt. Sed missis remotioribus, propiores tantum attingemus, quorum pleriq; omnes tam pacis honestæ, quàm religionis veræ studiosissimi fuerunt, & subditos suos ab iniuria periculoq; strenuè defenderunt. Pater eius fuit Ernestus Ludouicus, natus anno Christi 1545. Mater est Sophia Hedwigis, filia Iulij Ducis Brunsvuigi & Lunæburgi. Huius Ernesti Ludouici amor erga religionem veram, & benignitas in literas, patriam & pauperes multis rerum documentis cognita atque perspecta est. Fuit Anno Christi 1591. cum fratre Bugislao & filijs eius duobus Philippo & Francisco Ducibus, spectator renunciationis Doctorum Theologiæ Grypsvaldi: & territus tristi

exem-

exemplo impendentis, clementer tamen per Dei gratiam auersæ mutationis doctrinæ religionis in his regionibus testamento cauit, ne in Pomeranicis ditionibus vlla doctrina, pugnans cum Prophetis & Apostolicis scriptis, & cum Augustana confessione incorrupta reciperetur. In primis verò, vt Calvinistarum dogma, veram præsentiam corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi impugnans, procul à finibus Ecclesiæ Pomeranicæ arceretur, edixit. Tum ad hospitale V Volgasti extruendum, & ad alendos homines, viribus facultatibusq; exhaustos, tantum materiæ atque pecuniæ destinavit, quantū vsus postulare videbatur. Grypsvaldi ad absoluendum nouum collegium opes contulit. Postremò ad instruendum cœnobium Verchem, in quo virgines tenuioris fortunæ fouerentur, neruos suppeditauit. Tali testamento ante dimidium annum condito, ipse anno Chri-

B

sti

sti 1592. Iunij die XVII. horâ VII. vesperti-
nâ, cum vixisset annos XLVI. menses VII.
& dies XV. ex hac mortali vitâ in immor-
talem vitam migravit.

Auus porrò nostri Ducis & Reſtoris
fuit Philippus, in lucem ſuſceptus anno
Chriſti 1515. Hic coniugem habuit Mari-
am Ioannis Saxoniae electoris filiam, & in
Palatinatu à Ludouico auunculo ſuo di-
ſcedens ita inſtructus erat, vt religionis
cauſſa nemini ſubditorum ſuorum vim
faceret. Eſt igitur ſub initium reſormatae
religionis ipſe pontificius manſit: tamen
reſormatam doctrinam amplectentibus
non admodum aduerſus fuit. Erat verò
in aula ipſius nobili loco quidam ortus,
Iuſtus à Devviz, vir prudens & induſtrius.
Is repugnantibus multis ſenſim paula-
timq; Ducem Philippum ad amorem re-
ſormatae religionis traducere conatus eſt.
Nam vt ſcripta quaedam Lutheri, Me-
lanchthonis & Pomerani, in primis verò

Biblia

Biblia sancta & Augustanam confessionem legeret, permouit. Accedebant etiam admonitiones fratris ipsius ducis Barnimi, quibus tandem ita cessit Philippus, ut abiectâ religione pontificiâ reformatam amplecteretur. Conuersus ad hunc modum ad Euangelij lucem, communi operâ cum fratre Barnimo animum ad emendandam Ecclesiam appulit, & accersito VVitebergâ D. Ioanne Bugenhagio, non solum doctrinam Ecclesiæ, sed ceremonias etiam & ritus eiusdem fratres concordissimi correxerunt. Quod factum est anno Christi 1534. Sequenti verò anno visitatio Ecclesiæ per vniuersum ducatum ab eodem Bugenhagio suscepta est, & successu bono salutariq; perfecta. Ex quo Pomeranorum Apostolus ille Bugenhagius fuit cognominatus. Memorabile est, quod huic principi Philippo accidit, cum anno Christi 1536. à Luthero in arce Torgensi cum sponsâ suâ Maria legitimè copulabatur.

Finitis enim ceremonijs omnibus, Lutherus dextram sponsi diutius aliquantò tenens, & in cogitatione versans, voce clara tandem dixit: Dominus Deus sit tecum, & semen tuum non deficiat. Benedictio hæc fuit diuinitùs ex ore Lutheri prolata, quam etiam hæctenus res euentusq; comprobauit. Nam & ipse Philippus prolem amplam habuit, & filius eius Bogislaus liberos complures genuit. Ernestus verò Ludouicus, eiusdem filius hunc Philippum Iulium, Ducem & Rectorem nostrum, an. Christi 1584. in hanc lucem editū, post se reliquit, ad quem bona pars benedictionis Lutheri pertinet. Idem Philippus anno XXXVII. affuit in conuentu Smalcaldico, vbi de certa formula doctrinæ in Ecclesia reformata agebatur, & de fœdere aduersus vim, si qua inferretur, incundo tractabatur. Ac doctrinæ quidem veræ secundum Augustanam confessionem & fœderis etiam socium sese profite-

ba-

batur: sed cum paulò pòst fœdus ad abusu-
sum à nonnullis conuerteretur, renuncia-
re ei Philippus cogebatur. Nihilominus
tamen propter inuidiam Smalcaldici fœ-
deris in periculum & extremum penè di-
scrimen deuenit. Quo in casu tanta fuit
animi magnitudo in hoc principe, vt pa-
lam professus sit, se malle quasuis exilij
ærumnas ferre, vel vitam etiam ipsam pro-
fundere, quàm professionem veritatis ab-
ijcere. Fundatum est ab hoc duce & fra-
tre eius Barnimo anno Christi XLI. pæda-
gogium illustre, quod etiam nunc Stetini
flore, multosq; pueros & adolescentes a-
lit aq; erudit.

Proauus nostri Principis & Reçtoris
fuit Georgius, natus anno Christi 1493.
Hic magnâ curâ tutatus est fines suos ab
excursionibus hostium & à domesticis la-
trocinijs. Sigismundo Polonorum regi
socium sese præbuit in comprimendis Ge-
danensibus, contra quos manum trecen-

torum equitum adduxit. E vita exijt anno Christi 1531.

Abauus nostri Ducis & Reſtoris fuit Bogiſlaus, à rebus geſtis cognominatus Magnus. Patriam enim afflictam & propè debilitatam belli incommodis ſuâ induſtriâ & fortitudine ita recreauit, vt ſeſe erigere ad ſpem pacis & tranquillitatis multis annis deſideratæ ceperit. Huius ducis extat memorabile ad omnem perpetuitatem monumentum biblicum. Nam Biblia ex interpretatione Lutheri anno Chriſti 45. VVitebergæ edita, in Pomeranicum idioma transferenda & imprimenda curauit chartâ elegante & cum figuris venuſtis atq; priuilegio. Præpoſita eſt eius imago cum hoc Epigrammate:

*Hæc tua te pietas docuit monumenta dediffe
Bugſlaue, ò magnum religionis opus!
Omnia prætereunt: maieſtas ſola manebit
Verbi, quod ſonuit cælitus ipſe pater.*

Hoc

*Hoc dum proponis populis, patriæq; legendum,
Ritè pater patriæ diceris esse tuæ.*

CONIVX eius erat CLARA Francisci Ducis Lunæburgensis filia. Natus fuit anno Christi 1454. mortuus verò anno Christi 1523.

Patruus magnus eiusdem Ducis & Rectoris nostri fuit *Barnimus IX.* qui in matrimonio habuit ANNAM Henrici ducis Lunæburgensis filiam. Hic, cum doctrina de Cœnâ Domini in controuersiam disceptationemq; vocaretur, alijs aliter verba eius interpretantibus, mandatum dedit Theologis suis, vt de Colloquio cum dissentientibus Theologis instituendo consilium caperent, exquirendæ veritatis causâ. Pietatis hic fuit ardor, qui impulit principem maximè salutarem Ecclesiæ & patriæ, vt indagandæ veræ sententiæ omnes vias persequendas esse duceret, & nullis impensis parceret, quò ad id, quod vnicè amplectendum tenendumq; nobis omnibus,

immò

immò ad tribunal Christi Iudicis afferendum est, perueniretur. Instituit quoq; vnà cum Coniuge suâ nosocomium ante portam fœmineam, quæ Stetini est, idque redivus ita locupletavit, vt in hodiernum vsq; diem homines ætate & annis confecti, præsertim si honestè pieq; vixerint, benignè alantur. Mortuâ coniuge, nempe anno Christi 68. Nouembris die VI. ipse iam propè actâ decursaq; ætate, gubernatione omni sese abdicauit. Anno Christi 69. Et cum hærede mascula destitueretur, Philippi filijs ditioes suas concessit, paucis reseruatis, vnde vitam sustentaret suam. Sic ad Iohannem Fridericum Stetinensis; ad Ernestum verò Ludouicum V. Volgastensis ditio deuenit. Barnimus verò anno Christi 73. Nouembris die 2. Ederspurgi, cum annos 72. vixisset, mortem cum vitâ commutauit.

Cognomen ex pietate adeptus erat. Nam & pius & pacificus & probus prin-

ceps

ceps fuit, quem mortuum lacrymis multis profecuti sunt subditi.

Non licet ascendere altiùs, ac superiorum Ducum Pomeraniæ historiam attingere. Quod si mihi concederet tempus, quod breuius est, Deus bone, quanta lux rerum præclarè gestarum à Ducibus Pomeraniæ mihi apud vos dicenti oboriretur. Possem enim penè ab anno Christi 933. maiores nostri Ducis & Rectoris ante & post susceptam religionem Christianam recensere, & penè in singulis memorabile aliquid ostendere.

Quarum verò regionum, prouinciarum ditionumq; Dux est & Dynasta Philippus Iulius Rector noster? Primùm *Stetini*. Est autem Stetinensis ducatus, cuius metropolis est Stetinum, Ino & Pani fluminibus interceptus, florentissima Pomeraniæ pars, & vrbes duodecim compræhendit. Apellationem nonnulli à Sedinis populis, quos Ptolemæus nominat, deducunt: sed

C

qua

quà fide, ipsi viderint. Vfitatum verò est ex
maiori parte vnamquamq; rem appellari
spectariq;. Iccirco etiam Stetini dux ap-
pellatur Rector noster à florentissima Po-
meraniæ parte & tanquam capite gentis.
Fuit autem primus dux Stetini Bugislaus
II. qui oppressis Slavis V Vinitisq; Saxones
in Pomeraniam introduxit. V Viniti verò
ἐβητοί seu Veneti, seu Vindi germanis sunt,
Wenden/de quibus paulò pòst. Cessit è vi-
tâ hic Bogislaus anno Christi 1222.

Alter auitus nostri Ducis & Rectoris
titulus est pomeraniæ, quæ à situ nomen
adepta est, quasi dicas mare accolentem.
Pomeranus enim maris accola est. Por-
recta est autem Pomerania amplius quin-
quaginta milliaria germanica, ad littus
Germanici seu Balthici maris: & diuisa est
in citeriorem & vltiorem à Suantibori
liberis. Secundum hanc diuisionem ipsa
etiam gens in familias duas tributa est. Ci-
terior enim Pomerania Germaniæ finiti-
ma,

ma, in quâ Stetinum est, cessit Bertislao & Ratiboro, ex quibus longâ, non interruptâ tamen serie, noster Dux & Rector propagatus est. Vltior verò Pomerania ad Suantopolcum & Bugislaum deuenit. Ac ceterior quidem Pomerania maturè mores, linguam & iura Germanicæ gentis imbibit, & in ordinem societatemq; libertatis ac dignitatis Rom. imperij recepta est à Friderico Barbarossa imperatore.

Est præterea Cassuborum dux Rector noster inclytus, qui quidem Cassubi vel Cassubij à Pomeranis interstitio maris & densitate sylvarum seiunguntur, & versus mediterranea Poloniae & Borussiae extenduntur. Hi à plicis vestium nomen habere dicuntur, quibus à finitimis populis distincti fuerunt. Primus Cassubiæ princeps nominatur V Vartislao II. qui anno Christi 1186. è vitâ migravit. Postea recensetur in Pomeranica historiâ Bugislaus, & post eum Subislaus, Cassuborum & Pomerel-

lorum, vel vltioris Pomeraniæ princeps,
qui relicta idolomaniâ ethnicâ ad religio-
nem Christianam transijt, mortuus est an-
no Christi 1187.

Quartus titulus auitus nostri Principis
& Rectoris est Vandalorum siue Heneto-
rum. Sunt autem Vandali non Gothica
illa gens, quæ in Gallias, Hispaniam & A-
fricam migravit, & à Belisario Iustiniani
imp. duce deleta est: sed Heneti seu Vendi
sunt, qui Vandalorum sedes occupa-
runt. Hi ex Paphlagonia Asiæ minoris re-
gione progressi olim vtramq; ripam vistu-
læ & viadri vsq; ad Albin compleuerunt.
Et quia eiusdem gentis appellationes sunt
Heneti, Veneti & Venedi, mutatione exi-
guâ ceperunt dici *die Wenden*. Ita factum,
vt qui antiquitus Vandali, postea V Viniti
seu *Winden* appellati sint, Pomerani sci-
licet inter vistulam & viadrum ad mare
habitantes, autore Helmoldo. Non pro-
priè igitur Vandali nominantur hi populi.

Van-

Vandali enim germanicè locuti sunt, & iam dudum ex agris & finibus Rom. imperij exterminati sunt, sed V Viniti, Veneti & Heneti potius appellantur.

Quintò Rugiæ princeps est Dux & Rector noster. Est autem Rugia vel Rugilandia insula & pars Pomeraniæ, continens in circuitu milliaria 22. Hæc vocatur mater Sundij, & tametsi aquis ex omni parte alluitur & interluitur: tamen diuinâ providentiâ sic custoditur, vt neq; mergatur, neq; detrimenti aliquid incolis adferatur. Populum habuit olim barbarum, ferocem & crudelem. Venit autem in ditio- nem & potestatem Pomeraniæ principum tempore V Vartislai IV. cuius stirps extin- cta est anno Christi 1352.

Sextò comes est Gutzcouiæ princeps & Rector noster, quæ Gutzcouia Peni fluuio à ducatu Stetinensi, & principatu Rugiæ separatur. Postremò Leopurgi & Bytho- uiæ dominus est. Leopurgum verò oppi-

dum est & præfectura ad Lebum fluuium
sita. Hæc cum Bythouia eoum limitem
Pomeraniæ claudit.

Tot & tantarum ditionum dux prin-
ceps & dynasta est noster Rector Philippus
Iulius, quibus plerosq; maiores suos auos,
proauos, & abauos superat. Indole verò
virtutis, continentia, ingenuitatis, mode-
rationis & industriæ optimos quosq; ma-
iorum suorū assequitur & exæquat, nem-
pe Ernestum Ludouicum patrem, Philip-
pum auum, Georgium, Barnimos, V V ar-
tistlaos, Bugislaos & alios, qui successione
continua Pomeraniæ ducatum rexerunt,
patriæq; honorem, gloriam, cæteraq; com-
moda auxerunt. Conuersa iam tum sunt
in eum ora & oculi subditorum omnium,
totus status patriæ terræ & spes ciuitatum,
oppidorum, & partium singularum in eius
potestate, gubernatione, prudentiâ & mo-
deratione posita & defixa est. Quid de no-
bis in hac Academiâ dicam, cui Rector ille

ipse

ipſe diuinâ quadam & ſingulari benignitate datus eſt? An non lætitiâ ſummâ incefſimus, ſimul atq; de ingreſſu eius in hanc urbem nuncium accepimus? Quibus gaudijs exultauimus, cum os eius vidimus? cum vultum ingenuû plenumq; comitatis & clementiæ perſpeximus? Profectò Academia tota ad te, Philippe Iuli princeps, cū omnibus membris ſuis, profeſſoribus & ſtudioſis ſeſe effundebat, cum ingredi-entem te ad ornandum & augendum noſtrum ordinem videbat?

Speſtaculum profeſtò erat periucundum, & eſt hodie, Illuſtriſſimum principem Rectoremq; noſtrum magnificentiſſimum videre ſtipatum ſelectiſſimorum conſiliariorum & miniſtrorum frequentiâ, inprimis *Bernardi Bugenhagij*, Domini hæreditarij in Nericg, Marſchalli provincialis, & aulæ moderatoris, cuius veneranda canities, comitas & prudentia mirificè homines ad ſe conuertit & rapit: De-

inde

inde *Erasmi Kuffouij*, Domini hæreditarij
in Neggart, aulæ Camerarij, dicendi faci-
endiq; sapientiâ & facultate mirifica præ-
diti, de gente & familia eius Kuffouij, qui
ante annos non ita multos Bogislaum X.
Pomeraniæ ducem Piritij ab Alberto Mar-
chione, quem Germanicum Achillem
cognominarunt, circumfessum, incredi-
bili solertiâ & celeritate comparatis copijs
ab omni molestiâ expediuit. Huius pater
Christianus Kuffouius, Ioannis Friderici, Er-
nesti Ludouici, & Barnimi fratrum mode-
rator in Academia VVitebergensi fuit,
quo ingenij vberioris cultus capiendi cau-
sa missi fuerant: Vir disertissimus & Iuris ci-
uilis disciplina, omniq; doctrina liberali
eruditissimus: Tum *Friderici Gersouij*, qui
præceptor datus Principi ac Rectori no-
stro compluribus annis inclytum eius pe-
ctus maximarum & plurimarum rerum
suauitate, copiâ, & varietate compleuit &
erudiuit. Huius pater Timotheus Gerso-

uius

uius Ioannis Friderici Pomeraniæ Ducis,
Philippi Iulij ducis et Rectoris nostri patrum
præceptor fuit. Tacitus præterea cæteros,
ne parcius de ijs dicere, quàm virtus eo-
rum meretur, videar.

Exhilarasti certissimè, princeps illu-
strissime, Christianum II. sacri Romani
imperij VIIuirum, exhilarasti inclytos
eius fratres, Ioannem Georgium & Augu-
stum Saxoniam duces, dominos nostros
clementissimos. Exhilarasti nominis tui
fama totum ducatum Saxoniam. Quid
enim per Deum immortalem vel ipsis
principibus nostris potest accidere iucun-
dus? vel ducatu Saxoniam honestius?
quàm quod tua celsitudo Lipsicæ Acade-
miæ, Augustus verò Saxoniam dux V Vite-
bergicæ Rector est? An non hoc decus? an
non ornamentum maximum est, in dua-
bus Academijs nostrorum principum du-
os esse Rectores inclytos, ad summam lau-
dem omnibus rebus ornatos principes?

D

Læte

Lætetur igitur tanto bono nos quoq; ,
qui sub tanto duce & Rectore studia libe-
ralia tractamus, colamus eum, veneremur,
obseruemus, & summissè ei obediamus,
accuratè cauentes, ne vel verbis vel factis
vllis eum offendamus, aut molestiam ali-
quam illi exhibeamus.

Gratum autem celsitati eius maximè fa-
ciemus, si suo loco munus quisq; sibi com-
mendatum sedulò fideliterq; exequetur:
docentes quidem res vtilis, salutares & ne-
cessarias auditoribus suis tradèdo & incul-
cando: discentes verò seu studiosi, lectiones
publicas frequentando. Hoc enim scire de-
bent studiosi, se ad hoc officium obligatos
& obstrictos esse, vt præceptores audiant,
ab ore eorum quasi pendeant, & instrui se
se omni doctrinâ liberali ab ijs patiantur.
Prouidebunt igitur studiosi, quicumq; di-
scendi causâ hic commorantur & sumtus
faciunt, ne lectiones sibi necessarias negli-
gant, auditoriaq; publica fugiant, sed lau-

di po-

di potius id sibi ducant, si in lectorijs, vbi
doctrina liberalis sonat, sese cōspici crebrò
sinant. Ita n. demùm nomen decusq; stu-
diosorum tuebuntur. Est, quemadmodũ
intelligo, cœtus studiosorum nō contem-
nendus in hac Academia: plures absq; du-
bio hoc tanto & tam illustri Rectore huc
confluent. Quò autem plures studiosos
habet Vniuersitas, eò turpiùs est auditoria
vacua relinqui. Quod mirantur omnes ex-
teri, quibus persuasum est, studiosos in le-
ctionibus, congressibus: et disputationibus
publicis conspici oportere. Idq; fecisse cer-
tũ est omnes, qui hoc tempore vel in prin-
cipum aulis, vel in Ecclesia, vel in Scholis,
vel in rebus pub. eruditionis aliqua laude
excellunt. Horum igitur exemplum imi-
tari debent studiosi, quotquot inseruire
communibus vsibus cupiunt.

Quod superest, Deum æternum patrem
domini nostri Iesu Christi, supplices ora-
mus, vt illustrissimum nostrum Septemui-

rum, fratresq; eius inclytos Ioannem Georgium & Augustum Saxoniae duces, dominos nostros clementissimos, vnà cum matre viduâ benignâ & piâ salutis nostræ curatrice; tum illustrissimum ducem Stetini Pomeraniæ Cassuborum & Henetorum, Rugiæ principem, &c. Rectorem & Dominum nostrum clementissimum pro immensâ bonitate & clementiâ suâ gubernet & ducat, omniaq; illorum consilia, studia & actiones ita fortunet, vt sint ipsi in primis gratæ, tum nobis etiam omnibus, & Academiae toti vtilis & salutares. Postremò ardentibus votis eundem rogamus, vt cœtum quoq; docentium & discipulorum in hac Academia, vmbra manus suæ protegat & custodiat, ne labe, periculo aut incommodo aliquo in cursu pietatis & studiorum rectorum impediatur.

Optata hæcenus obtigere omnia: lætissimus erat Rectoris nostri in hanc urbem ingressus, iucundissimus fuit, & est adhuc

eius

eius conspectus, fausta prosperaq; ipsius gubernationis initia, successus maximè salutaris. Sustulimus itaq; manus, quem admodum debuimus, & gratias DEO egimus, qui talem & tantum principem Rectorem nobis dedisset. Recordamur etiam, quoad is apud nos commoratus est, pacata, tranquilla, quieta fuisse cuncta. Vidimus ipsius celsitatem in publicis congressibus, conspeximus in disputationibus, & exercitationibus Academicis: Ex quo documenta capere potuimus, quantum commodi ad excitanda iuventutis studia peruenturum esset. Magnam enim vim esse illustris exempli quis ignorat? An non verò pudebit, pœnitebitq; aliquando peruersitatis suæ eos, qui totos annos consumunt in Academia, & trecentos, quadringentos Ioachimicos absument, nec lectionem vllam vllius professoris publici audiunt? Vt autem læta fuerunt hæcenus Rectoris nostri principia: Sic triste ni-

mais est, quòd ab itum à nobis ille ipse Gu-
bernator noster tam commodus, clemens,
benignus, illustris, & gloriosus celeri-
ùs omnium nostrum opinione parat.
Cum enim complurium prouinciarum
atq; ditionum Dominus sit, & iam tum in
fidem, clientelamq; suam subditos suos
receperit: non sinit eum cura susceptæ gu-
bernationis diu abesse. Desiderant illum
ducatus, requirunt ciuitates, postulant
oppida, sitiunt agri, nihil deniq; est vspi-
am in Pomeraniâ, quod Domini, ac Prin-
cipis sui præsentiam non exoptet. Intelli-
git etiam ipse, quid subditis suis debeat, &
quod debet, benignè etiam, liberaliterq;
præstare in animo habet. Quocirca assi-
gnatum sibi honorificentissimum in Aca-
demiâ nostrâ munus, benè feliciterq; in-
ceptum atq; gestum hactenus, relinquere
in medio cursu cogitur. Priùs tamen ex-
currere aliquantò longiùs, & peragrarè
plures Academies, atq; regiones expetit,

vt in-

vt instructior rebus, bono & potente prin-
cipe dignis, ad suos paulò post redeat. No-
bis certè non potest non luctuosus, acer-
bus & grauis esse tuus, ò princeps Illustris.
Rector Magnificentis. tam inopinatus di-
scensus, vtpote, cuius benignitatem in
nos singularem perspeximus, cuius cle-
mentiam multis rebus experti sumus.
Pro quibus quidem beneficijs, quâ par
est, & conuenit, summissione, & reueren-
tiâ tibi gratias agimus, prospera, faustaq;
omnia tuæ Celsitati tam præsentis, quàm
absenti precamur, & vt semel conceptum
erga nos amorem in tempus omne con-
seruet, rogamus. Quoties mentes nostræ
ad tuam Celsitatem sese reflectent? quo-
ties tuam Clementiam requirent? quoties
hosce parietes lectorij intuentes, in me-
moriam Rectoratus tam illustris redibi-
mus? Sed magis tamen dolenter disces-
sum Illustrissimæ Celsitatis tuæ ferremus,
nisi post se relinqueret illa Prorectorem,

cuius

cuius vicariâ operâ deinceps Academia
gubernabitur. Cuius quidem industriâ:
& fides cùm nobis omnibus perspecta &
cognita sit; meritò in eius curâ, & erga
nos beneuolentiâ acquiescimus; confidi-
musq; adeò, studiosos etiam propter Illu-
strissimæ Celsitatis tuæ nomen recorda-
tionemq; huic Prorectori nostro piè, re-
cte q; obtemperaturos esse. Idque vt
faciant, modis omnibus hor-
tamur atque opta-
mus.





Responsio

M A G N I F I C I
DOMINI PRORECTORIS,
ANDREÆ HVMELII, I. V. DOCTO-
ris, supremæ curiæ Electoralis aduo-
cati, Acadamiæ Syndici.



H nos, viri omni-
um ordinum & dignita-
tum Reuerendi, Magnifici,
amplissimi, clarissimi, pru-
dentissimi præstantissimi-
que, vosq; nobiles & studiosissimi iuue-
nes, non possumus non, vtpotè modò à vi-
ro clarissimo & peritissimo Dn. D. Mat-
thæo Dressero, amico & compatre hono-
rando, factum est, nobis, Academiæ no-
stræ, rebusq; publicis insignem hanc, nec
fatis prædicandam felicitatem etiam atq;

E etiam

At

etiam gratulari, qui in corona summo-
rum nobilissimorumq; virorum, Princi-
pem illustrissimum deducentium, quo-
rum vultu incredibilis dignitas, virtus
& auctoritas elucet, spectare nobis in hac
solenni commendatione liceat, illustris.
& generosissimum Principem ac Domi-
num, Dominum PHILIPPVM IULI-
VM, Ducem Stetini, Pomeraniæ, Cassu-
borum & Henetorum, Principem Rugiæ,
comitem Gutzcouiæ, dynastam Leopur-
gi & Butouïæ, dominum nostrum cle-
mentissimum, superiori mense electum
Rectorem Academiae nostræ Magnifi-
centissimum. Quæ quidem felicitas, quò
magis inopinata, præterq; omnium no-
strum spem ante hac nobis accidit, eò sci-
licet iucundiolem, gratiolem optatio-
remq; eam contingere nobis, necesse est
fateri vniuersos. Sanè ex hac re videre li-
cet, prouidentia diuinæ & misericordia
respectum admirabilem, qui modò affli-

ctio-

ctione quadam nonnihil premi res hu-
manas permittit, vt quasi desertæ illæ vi-
deantur, modò clementissimo vultu eas-
dem respicit, & ex tristibus ac desperatis
lætissimas efficit, atq; omninò, vt cum sa-
crâ scripturâ loquamur, post lacrymas
nonnunq̃ tristitiamq; gaudia lætitiâq;
reddit optatissimam. Quemadmodum
enim in rebus, quæ à naturâ oriuntur, vi-
cissitudines sunt: modò tenebræ noctur-
næ ingruunt, modò sole sese supra hori-
zontem efferente, radijs eiusdem splendi-
dissimis omnia illustrantur: modò aer est
horridior, modò clarissima effulget sereni-
tas: Ita cum in publicis tum priuatis re-
bus, non exigua sæpenumero sese exerit
varietas, dum modò in deteriora res pro-
labuntur, modò gratâ quadam permuta-
tione in melius conuertuntur.

Erat, ne longè abeamus, superioribus
aliquot annis facies Academiæ nostræ hîc
fatis tristis & perturbata, negotia quædam

vel potiùs illi languebant, pressa esse & iacere pleraq; omnia videbantur. Quamprimum verò ante menses tres, venire in hanc urbem nunciatum fuit illustrissimum & generosiss. Principem Philippum Iulium, Pomeraniæ Ducem, &c. omnia quasi nouam speciem induere visa sunt, fidus quasi nobis nouum cœpit effulgere, animi ad alacritatem fuerunt inusitatam excitati, studia quasi reuiuiscere visa sunt, ob insolitum hoc, quod nobis contigit bonum, cum tamen illustriss. hunc principē neq; de facie adhuc nossemus, neq; quo animo erga nos futurus esset, vel suspicari possemus. Quò diutiùs autem hic fuit (quod interuallum, ô Deus bone, quàm fuit breue & exiguum, quàm citò illud transijt vel potiùs præteruolauit) eò rectiùs cognosci potuit Principem ipsum esse omnibus animi & corporis donis longè præstantissimum. Ex ore elucet grauitas augusta & planè Heroica: gestus sunt

com-

compositissimi: oratio est amabilis, prudens & circumspecta: humanitas planè incredibilis, quæ omnium fauorem & admirationem meretur. Qua de causa mota etiam fuit Academia nostra, vt cum 23. die mensis Aprilis, nouus esset consuetudine maiorum eligendus Rector, nihil prius, nil potius illa sibi duxerit, quàm vt honorem hunc scholasticum summum, ad illustrissimum Principem deferret, vnicè illud exoptans, vt ne honorem Academicum oblatum aspernaretur. Quod igitur compos voti sui facta est Academia, & princeps Illustrissimus administrationem hanc scholasticam, exemplo maiorum aliorumq; Magnatum & Ducum, qui ante annos complures Academijs harum provinciarum cum laude & dignitate præfuerunt, & etiam nunc præsunt, in se recepit, non satis magnæ Deo æterno & misericordi agi possunt gratiæ, non satis magnificè & pro dignitate celebrari potest illius ex-

celfitas, quæ imponi sibi hoc onus passa est, & re ipsa, quo animo erga nos, & studia liberalia, totamq; adeò Academiam, quæ seminarium est Ecclesiæ & Reipub. esset, satis abundè declaravit.

Neq; verò quicquam magis ex usu est rerum pub. quarumcunq; quam si principibus & Heroicis ingenijs præditis iuuenibus, illæ regendæ committantur. Adferunt enim ad gubernationes impetum quendam conditione humanâ altiorem, quâ etiam proximè ad diuinitatem accedant. Vnde fit, vt omnia, quæ agunt, quæ suscipiunt, quæ consulunt, felicius succedant, magisq; prona sint. Etenim quemadmodum in cœlo stellæ magnitudine, claritate, occulto influxu seu potentiâ differunt: Ita quoq; Deus opt. max. inter homines cõstituit, ordines statuum, quibus alios ab alijs distinctos esse voluit, eosq; q in sublimiori statu cõstituti sunt, & quasi gemmæ generis humani luceant, mirabiliter vim

quasi

quasi quandam diuinam eis infundendo, regit atq; tuetur. Accedit in talibus Heroicis naturis etiam autoritas, qua præ alijs hominibus quibuscunq; ornata illæ sunt. Finxerunt Poëtæ Gorgonem seu caput Medusæ, qui eam vim & efficaciam habuerit, vt si fortè alijs obiectum fuisset, mox in saxa illi conuerterentur. Quid aliud quæso est Gorgon, quàm in Magnatibus, & ijs, qui cum repub. sunt, autoritas ab ipso Deo eis indita & tributa, vt non possit non aliquis ad conspectum talium commoueri, aut etiam animo percelli. Hac autoritate in officio retinentur subditi, hac legum maiestas conseruatur, hac contra violentiam defenduntur boni & morigeri, hac meritis afficiuntur supplicijs improbi & scelerati, & alij, qui modò quocunq; humanam societatem, inprimis verò ordinem scholasticum conturbant. In quo quidem officio magnorum principum & magistratum, qui præfunt,

sum-

summa est & excellentissima dignitas.

Vnde Romanis hoc fuit singulare: parcere subiectis & debellare superbos. Et apud Euripidem Theseus præclaram talibus laudem tribuit, cum eos vocat *διεργέτας βροτοῖσιν καὶ μεγάλης φίλης*, beneficos erga homines & magnos amicos. Quod idem & Alphonsus rex suo ostendit symbolo, quo pingi curavit Pelicanum ex pectore elicientem sanguinem, et eo alentem pullos. Iam verò inter gemmas illas generis humani, quasi iubar quoddam solis eminere quoq; inclitam, illustris. & nunquam satis laudatam profapiam inclitorum & illustrissimorum Principum Pomeraniæ, quis est qui non videat?

Etenim quàm antiqua, quàm nobilis, quàm fortis illa sit, quantis, quamq; præclaris rebus, domi forisq; gestis iam tot seculis claruerit, & nulla non historiarum monumenta loquuntur, & nos ex oratione luculentâ viri claris. D. Doctoris Dres-

feri

feri, fatis superq; cognouimus. Qua quidem ex familiâ heroicâ ortus est Illustrissimus & generosissimus Princeps ac Dominus, dominus Ioannes Fridericus, Dux Stetini Pomeraniæ, &c. princeps Rugiæ, &c. Illustriss. & Magnificentiss. Rectoris nostri patruus qui natus Anno Christi 1542. 27. Augusti, viuo & volente patruo magno Barnimo IX. gubernationem suscepit. Anno Christi 1566. cum suo tum fratrum Bugislai, Ernesti Ludouici, Barnimi & Casimiri nomine comitijs Augustanis non tantum interfuit, sed etiam Maximiliano II. Romanorū Imperatori in iisdem, habitâ comtâ & ornata oratione latinâ, homagium præstitit, cumq; eodem anno Imperator bellum contra Turcam in Vngaria gereret, vexillum Imperij maxima cum laude & admiratione omnium gestauit 9. Februarij. anno Christi 1600. ætatis suæ. Anno 58. in Aula VVolgastana ex hac mortali vitâ in cœlestem à datore

F

vitæ

vitæ euocatus, 17. Februarij. Exanime
eius corpus comitatu illustri, nobili, ma-
gnifico, numerofo, sed tamen trifti & lu-
ctuofò Stetinum deductum: Vbi

*Nunc exangue latet corpus: Mens incolit
astra:*

Sed virtus volitat viua per ora virum.

Ex eadem familia nobiliffima longe-
que clariffima, cum præfentem quoque
confpiciamus Illuflriffimum & Magnifi-
centiffimum Rectorem noflrum, quo il-
lum affectu nos complecti, quo fludio
reuereri, qua pietate colere conuenit?

O præfentiam gratam & amabilem, nul-
lisque non votis expetendam, qua ipfi pa-
rietes & tecta lætari videntur. Quibus
autem modis fatis prædicando celebrabi-
mus, præter virtutes alias, quæ in ipfius
Celfitudine elucent planè diuinæ, quibus
inquã modis celebrabimus ea, quæ ad nos
& noflram Academiam propriè pertinent

bene-

beneficia. Quamprimū in laudatissimam hanc urbem venit ipsius Celsitudo, præcipuos de Academia nostra humanissimè summaque gratia complexa est. Nomen suū, suorumq; qui celsitudini illius à consilijs & officijs sunt, apud Magnificū tum Academiae Rectorem profiteri, non est dedignata. Electus ipse Princeps illustris. & renunciatus Rector, munus illud in honorem Academiae gratiosè in se suscepit. Loca obire doctrinae publicae nō est dedignatus: Rebus & negotijs grauioribus tractandis ipsius illustris. Celsitas non modò in propria persona interfuit, sed etiam his summa autoritate & splendore præfuit. Denique solennem hanc sui commendationem more & consuetudine maiorum, ne quid, quod ad decus & ornamentum Academiae pertineret, omitteretur, fieri voluit.

Quid dicam de beneficijs, quæ priuatim in nos, & multos alios nostri ordinis

clementissimè contulit? Quæ omnia si non tam magna esse iudicem, vt nullius oratione satis prædicari possint, amensim.

no. Quid autem? quid, Princeps illustrissime Rector Magnificentissime, pro hac, quam ita verè nominare possum, pietate, clementissimo fauore, propensiss. in nos omnes voluntate, meritis deniq; & officijs amplissimis, rependere possumus? Nihil in præsentia quidem fieri potuit aliud, quàm vt illustrissimæ tuæ Celsitudini & Magnificentia, nomine publico agantur studio subiectissimo gratia, & vt gratissima iucundissimaque omnia, quæ ab illustrissimâ Magnificentia vestrà profecta in nos sunt merita, omnibus & singulis fuisse, qualicunq; modo ostendatur. Atque vtinam, vtinam inquam, quàm diutissimè conspectu illustrissimæ Magnificentia vestræ perfrui nobis liceret, nihil maius à Deo optare, nullam felicitatem huic an-

tepo-

teponere deberemus. Verum vt animus
auguratur, discessu imminente illustris.
Magnific. V. felicitas hæc nobis interuer-
tetur. Ostenderunt nobis hunc tantum
fata, nec vltra esse sinunt. Libet enim ita
mutare versum Virgilianum, & ad no-
bilissimum Principem, in ipso iuuentu-
tis flore constitutum, accommodare. Vbi
non aliter fiet, quam vt tenebris quasi rur-
sus omnia inuoluantur, & nos Rectoris
nostri Magnificentissimi & fidelissimi sa-
pientiâ, consilijs, autoritate destituti, de-
serti deinceps & quasi in orbitate vitam
traducturi videamur. Quicquid autem
fit, voluntati diuinæ statuenti de nobis, vt
ipsi visum est, parendum est, modò V. cel-
situdo & Magnificencia cœtum nostrum
scholasticū adeoq; coniunctim docentes
& discentes absens vtpote præsens, suâ cle-
mentiâ & benignitate complectatur, sub-
iectâ cum reuerentiâ oramus & obsecra-
mus. Nos, vbicunq; erimus, quicunq; re-

rum status est futurus, memoriam illustrissimæ Celsitudinis Vest. cum honorificentissima mentione & prædicatione meritorum nobis præstitorum perpetuò retinebimus, Deumq; æternum & præpotentem pro felici eiusdem Celsitudinis V. statu & incolumitate, utq; longævam & diuturnam vitam V. Celsitudini illustrissimæ clementer largiatur, ex animo precabimur, nec vota nostra & preces ratas fore dubitabimus.

Quod porrò ad me attinet, quandoquidem partem gubernationis, indignus quidem, hætenus sustinui, & deinceps fortè sustinere cogar, vos viri omnium ordinum & dignitatum præstantissimi, unice oratos volo, ut in hac administratione absente Illustris. & Magnificentis. Rectore, vestrà mihi ope, consilio, autoritate præstò esse non dedignemini. Quod subiectis. & debitum studium Illustris. Celsi. & Magnificentia principali gratia &

cle-

clementia recompensabit. Ego verò quicquid animo, curâ, cogitatione conniti, quicquid studijs, industriâ, laboribus & vigilijs consequi poterò, eò referam omne, vt ne muneri mihi demandato defuisse videar.

Confido etiam, vel certò potius mihi persuasum habeo, studiosos adolecentes suo functuros esse officio, & tranquillos pacatosq; se gesturos. Quod quidem etiam vt faciant, magnoperè eos hortor, non tam propter me, quàm Illustrissimum & Magnificentissimum Principem Rectorem nostrum, cuius etiam absentis non erit nullus ad Academiam nostram respectus. Illius Celsitudini gratissimum accidet, si vel sui nominis autoritate in officio se retineri, studiosi passi fuerint, & eò promptiùs benè de nostra Academia & nobis omnibus, vt quidem ab illius Celsitudine hætenus factum est, merebitur.

Quod

Quod superest, oramus filium DEI
Dominum nostrum IESVM CHRIS-
TVM, vt sicut Ecclesiae suae summus sa-
cerdos & perpetuus praeses est: Ita Aca-
demiae nostrae supremus Rector & perpe-
tuus protector sit: totamq; sequentem
gubernationem scholasticam, & singulas
facultates, ita clementer dirigat ac fortu-
net, vt ad Diuini sui nominis gloriam, Ec-
clesiae ac Reipub. Christianae salutem, &
Academiae nostrae incrementum flo-
rentemq; statum euidenter ten-
dat ac feliciter cedat.

DIXI.



GRA-

GRATIARVM

ACTIO.

Viris Reuerendis, Magnificis, Nobilitate generis, Amplissimis, clarissimis, spectabilibus, prudentissimis, atq; omnium ordinum ac dignitatum præstantissimis, habentur & aguntur gratiæ tantæ, quantas agere licet, quod præsentia suâ hodiernam hanc festiuitatem & solennem Illustrissimi & Magnificentissimi Rectoris nostri commendationis actum ornare & celebriorem reddere voluerint. Declararunt hac in re Celsitati & Magnificentiæ illius, subiectissimum obsequendi studium, propensam in nos voluntatem, & ostenderunt, Academiae nostræ dignitatem & existimationem sibi curæ esse, & inprimis ordini Scholastico fauere. Cuius nomine singularem clementiam omnes & singuli ab illustrissimo & Magni-

G

ficen-

centissimo Rectore nostro cognoscent.
Nos verò daturi sumus operam, id vt
quocunque officij genere poterimus,
cumulatè per occasionem referamus.



GRA-

GRATIARVM ACTIO
SVB DISCESSVM.

Illustrissimum & ge-
nerosissimum Principem Phi-
lippum Iulium Stetini Pome-
ranix Cassuborum & Vandalorum
Ducem, Principem Rugix, Comitem
Gutzcouix & Dominum Leobur-
gensium & Butouiensium, nec non
pro tempore Rectorem Magnificen-
tissimum plurimum honoris, digni-
tatis & incrementi Academia huic
suo aduentu & presentia addidisse,
nemo nostrum dubitare, multo mi-
nus negare potest. Quo accessu Aca-
demix nihil iucundius, nihil gratius,
nihil deniq; exoptatius accidere po-
tuit vnquam. Quod etiam Illustris.
ipfius Celsitas dignitatem scholasti-

cam, non tantum summam gratiam in se
suscipere, verum etiam grauioribus
deliberationibus interesse & praesse
dignata est. In hoc exempla lauda-
tissimorum Maiorum est secuta. Er-
ga Academiam vero clementissi-
mam & propensam animi volunta-
tem declarauit. Quod denique illi-
us celsitudo Proceres Academiae &
Professores publicos, nec non am-
pliss. huius urbis Senatum vna me-
cum ad hoc prandium splendidè &
opiparè iustructum summam clemen-
tiam inuitarit, horum & aliorum bene-
ficiorum collatorum nomine Celsi-
tudini illius tanto gratitudinis vin-
culo omnes & singulos deuinctos es-
se, vno ore fatemur. Quod quidem
hoc tempore nullo modo soluere
possumus, imposterum autem in id

vni-

unicum enitemur, vt subiectissimo
oboedientiae & reuerentiae studio, &
officij illud aliquo modo saltem re-
laxare possimus; æternum trinum
& vnum Deum ex toto pectore &
imis gemitibus precantes, vt susce-
ptum & propositum iter Celsitudi-
nis ipsius sit felix, prosperum & salu-
tare, atq; vt diuina maiestas celsita-
tem illius, vnà cum omnibus, quos si-
bi comites adiunxit, saluum & inco-
lumem ducat atq; reducat, vtq; illi-
us Celsitudinis conatus & confi-
lia eò dirigat, vt Deo sint grata,
Ecclesijs & Rebus publ. v-
tilia & salutaria.

Amen.

F I N I S.



